



## 25 Iunius

Ss. Zachariæ et Elisabeth, parentum S. Ioannis Bapt.

Memoria

*Ant. ad introitum*

Lc 1, 13

**N**e timeas, Zacharía, exaudita est deprecátio tua, et Elísabeth uxor tua páriet tibi filium, et vocábis nomen eius Ioánnem.

*Collecta*

Gloríficet te, Dómine, memória veneránda Zachariæ et Elísabeth, paréntum Præcursóris Filii tui, et eórum précibus nobis concéde: ut te super ómnia diligéntes, promissiónes tuas consequámur. Per Dóminum.

LECTIO PRIOR

«Concipies et paries filium»

Léctio libri Iúdicum

13,2-4

In diébus illis:

Erat quidam vir de Sáraa et de stirpe Dan, nómine Mánue, habens uxórem stérilem; cui apparuit Angelus Dómini et dixit ad eam: «Stérilis es et absque liberis, sed concípies et páries filium. Cave ergo ne bibas vinum ac síceram,

nec immúndum quidquam cómedas; quia concípies et páries filium, cuius non tanget caput novácula: erit enim nazaraeus Dei ab infántia sua et ex matris útero.»

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS (propr.)

Lc 1, 76-79 (R. 68)

℟. Benedictus Dóminus qui fecit redemptionem plebi suæ.

- 1 Et tu, puer, prophéta Altíssimi vocáberis, præíbis, enim, ante fáciem Dómini paráre vias eius. ℟.
- 2 ad dandam sciéntiam salútis plebi eius in remissiónem peccatórum eórum. ℟.
- 3 per víscera misericórdiæ Dei nostri, in quibus visitábit nos óriens ex alto. ℟.
- 4 illumináre his qui in ténebris et in umbra mortis sedent, ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis. ℟.

ALLELUIA

Lc 1, 42

℟. Alleluia √. Elísabeth exclamávit dicens: «Benedícta es tu, María, et benedíctus fructus ventris tui. ℟. Allelúia.

EVANGELIUM (pr.)

«Uxor tua Elisabeth pariet tibi filium»

✠ Léctio sancti Evangélli secúndum Lucam

1, 5-17

In illo témpore :

Fuit in diébus Heródis regis Iudææ sacérdos quidam nómine Zacharías de vice Abíæ et uxor illi de filiábus Aaron, et nomen eius Elísabeth. Erant autem iusti ambo ante

Deum, incedentes in omnibus mandatis et iustificacionibus Domini, irreprehensibiles. Et non erat illis filius eo quod esset Elisabeth sterilis, et ambo processissent in diebus suis.

Factum est autem, cum sacerdotio ipse fungeretur in ordine vicis suae ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotii sorte exiit ut incensum poneret ingressus in templum Domini, et omnis multitudo erat populi orans foris hora incensi: apparuit autem illi angelus Domini stans a dextris altaris incensi. Et Zacharias turbatus est videns, et timor irruit super eum.

Ait autem ad illum angelus: «Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen eius Ioannem. Et erit gaudium tibi et exultatio, et multi in nativitate eius gaudebunt; erit enim magnus coram Domino, et vinum et siceram non bibet, et Spiritu Sancto replabitur adhuc ex utero matris suae, et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum. Et ipse praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae, ut convertat corda patrum in filios et incredibiles ad prudentiam iustorum, parere Domino plebem perfectam».

Verbum Domini.

vel (propr.) *Zacharias impletus est Spiritu Sancto et prophetauit*

✠ Lectio sancti Evangelii secundum Lucam 1, 57-64.67-70

In illo tempore:

Elisabeth impletum est tempus pariendi, et peperit filium. Et audierunt vicini et cognati eius quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei.

Et factum est in die octavo venerunt circumcidere puerum, et vocabant eum nomine patris eius Zachariam. Et respondens mater eius dixit: «Nequaquam, sed vocabitur Ioan-

nes». Et dixerunt ad illam: «Nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine».

Innuabant autem patri eius quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem scripsit dicens: «Ioannes est nomen eius». Et mirati sunt universi. Apertum est autem illico os eius et lingua eius, et loquebatur benedicens Deum.

Zacharias pater eius impletus est Spiritu Sancto et prophetauit dicens: «Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebi suae, et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui, sicut locutus est per os sanctorum qui a saeculo sunt Prophetarum eius.»

Verbum Domini.

### *Super oblata*

Respice, quaesumus, Domine, ad munera quae sacramus: et, sicut beatorum Zachariae et Elisabeth orationem misericorditer exaudisti, sic praesta ut in te sperantium iusta desideria compleantur.  
Per Christum.

### *Praefatio*

*Sancti Ioannis Baptistae (ad libitum.) Missale Rom. 24 Junii.*

### *Ant. ad communionem*

cf Lc 1, 69.72

Beata es Maria, quae credidisti quoniam perficiuntur in te, quae dicta sunt tibi a Domino.

### *Post communionem*

Unigeniti tui corpore et sanguine recreati,  
quaesumus, Domine,  
ut beatorum Zachariae et Elisabeth exemplo,  
de acceptis donis tuis in gratiarum actione maneamus.  
Per Christum.